



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs XIV. De Ætate, Et Qvalitate, Et Ordine Præficiendorvm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

**S**I Clericus ab Episcopo excommunicato per ignorantiam ordinatus fuerit, Episcopus proprius cum eo dispensare potest. Hinc autem per sensum contrarium colligitur, si Clericus scienter vel per ignorantiam crassam, ab excommunicato ordinem acceperit, Episcopum dispensare non posse, ut in susceptis ordinibus ministret, aut ad altiores ascendat. Consentit c. ordinationes, 5. causa 9. q. 1.

Ratio est: Quia excommunicatus non habet potestatem legitimam ordines conferendi: ergo qui ab eo ordinantur, non recipiunt ius exercendi ordines legitime, sicuti prius exercitatus sum, argum. c. quod autem 5. de iure patron. Pro non dato habetur, quod datur ab eo, qui de iure dari non potest. Et habet hæc ratio locum in Episcopis hæreticis, schismaticis, aliisque excommunicatis; item in depositis, ab ordine suspensis, interdictis, denique & in simoniacis, c. si quis a simoniacis, 108. causa 1. q. 1. Cæterum post Extrauag. Concil. Constantiens. Ad euitanda, necesse est, Episcopum ob cri-

men vel censuram denunciari tanquam vitandum, aut notorium clerici percussorem esse, ut ordinatio eius legitimum exercitium ordinantis non conferat, sicuti bene docet Syl. ver. interdictum, q. 7.

**Q**UÆRITUR: Si quis grati metu adigatur, ut ab Episcopo, qui Episcopali dignitati renuntiavit, vel ab excommunicato, suspeso, simoniaco, eoque denunciato, ordines accipiat, utrum dictam inhabilitatem ad Ordines, ac veluti quandam irregularitatem contrahat. Negat Nauar. c. 27. n. 241. Syl. lo. cit. Sairus in thesauro lib. 4. c. 14. n. 5. Sed contrarium est tenendum cum Maiolo lib. 4. de irregul. c. 22. Suarez. de censur. disp. 31. s. 1. n. 63. Quia hæc inhabilitas non incurritur ob culpam ordinati, (à qua metus grauis excusare potest, si non in Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis contemptum incutiatur, uti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 5. in fine) sed ob indignitatem malè ordinantis: Maior autem est ordinationis peruersitas, si etiam vis iniusta ordinatoris accesserit.

## TITVLVS XIV. DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORVM.

**E**nsus tit. est, *Quanam ætate, vitæ ac moribus, & quo ordine clericali debeant esse præditi, qui ad prælaturas, aliæque Ecclesiastica beneficia promouentur. Nam Pontifici propositum est agere de sacra ordinatione: Clerici autem eo fine ordinantur, ut ad Ecclesiastica ministeria instituantur. Igitur de eorum ætate, & alijs qualitibus agendum est.*

### CAPITVLVM I.

*Vt Abbates.*

#### PARAPHRASIS.

Abbates, Præpositi, & Decani, qui Presbyteri non sunt, fiant: Et qui Archidiaconi-

tum obtinet, Diaconus; qui Archipresbyteratum obtinet, presbyter ordinetur: Sin nolit, dimittere debet dignitatem, seu beneficium suum: Imò etiam si iustâ causâ impediatur, quò minus ordinari possit.

#### SVMMARIVM.

*Sub pœna priuationis beneficij debent beneficiarij suscipere Ordines, quos beneficia requirunt, etiam si iustâ causâ impediti sint, modo impedimentum sit perpetuum, seu diu duraturum.*

**N**OTANDVM I. *Quædam sunt dignitates, ac beneficia Ecclesiastica, quibus ipso iure annexus est sacer ordo, seu potius*

*Tit. 4. obligat*

## Ex ratione.

## PARAPHRASIS.

Episcopus Conuentrensis pueris nondum decennē aetatem consecutis in Archidiaconatu Castrensi Ecclesias quasdam concessit, quæ interim laicorum imperio administrabantur. Id ægrè ferens Alexander III. mandat Episcopum corripere; ecclesiarum administrationem atque custodiam a motis laicis, idoneis Clericis committi, donec pueri ad aetatem legitimam perueniant: Insuper prohiberi Episcopo, ne imposterum ecclesias, nisi perfonis aetatem, & scientiam requisitam habentibus regendas committat; alioquin ipsi poenam decernendam, atq. concessiones seu institutiones irritas iudicandas fore.

## SYMMARIVM.

1. *Episcopus non potest dispensare super aetate in sacris canonibus requisita ad beneficium.*
2. *Si Clerico ante aetatem requisitam beneficium collatum sit, Superior collationem irritare potest.*
3. *Beneficium curatum per Papa dispensationem alicui minori concessum, per clericum interea illud administrari debet, non laicum.*

**N**OTANDVM I. Episcopus non potest dispensare super aetate in sacris canonibus requisita ad beneficium. Ita etiam habetur in c. seq.

**N**OTANDVM II. Si Clerico ante aetatem requisitam beneficium collatum sit, Superior collationem irritare potest: nisi malitiam dispensatiuè tolerare; dummodò potestate præditus sit dispensandi super defectu: vt in casu proposito Sum. Pontifex. Ceterùm, si particulari alicuius ecclesie Collegiatæ decreto certa aetas in promouendis extingatur, v. g. vt intra annum sacrum ordinem susci-

obligatio sacrum ordinem suscipiendi intra annum post promotionem, iuxta Clement. 2. eod. tit. c. cum in cunctis, 7. §. Inferiora, de elect. Trident. sess. 22. c. 4. de reform. Vide quæ dixi in cit. c. cum in cunctis.

Id verò difficile est, quod hoc loco adiungitur, tametsi iustà causà impediti sint Clerici beneficiari, quòd minus sacrum ordinem beneficio suo annexum suscipiant, priuandos esse: cuius contrarium significatur in c. 1. de Clerico ægrotante, & expressius in cit. Clem. 2. de aetate & qualitate. Hostiens. in sum. hoc tit. princ. & c. commissis, 35. de elect. in 6. Innocent. & Anton. de Butrio super hoc c. Glossa in cit. Clem. 2. ver. impedimento, iura ita conciliant. Si iustum impedimentum ordinis requisiti suscipiendi ex culpa contractum sit, non excusat; præsertim si ante beneficii acceptionem præuisum fuerat. Sin verò absque culpa contractum sit impedimentum, id beneficiato obesse non debet. Sed non placet hæc distinctio: Quia minus restringit textum: is enim absolute ait, non obstante impedimento iusto talem amouendum esse, maxime autem iustum est, si culpa non præcessit. Arbitror, aliter distinguendum esse. Vel impedimentum perpetuum, seu diu duraturum est, vel temporale. Si temporale, seu non longo tempore duraturum, vniuersim dici debet, institutum amoueri non posse; dummodò impedimentum ordinis suscipiendi iustum sit: tametsi fortè ante beneficii acceptionem præuisum fuerit, vel culpa aliqua præcesserit: vt si in rixa Clericus debilitatus sit, quò minus constituto tempore ordinem requisitum suscipere queat, argum. c. vn. Ne Sede vacante, in 6. Sin autem perpetuum, seu diu duraturum impedimentum est, auferri debet beneficium: Cum enim beneficium detur propter officium, c. vlt. de rescript. in 6. merito auferitur illi beneficium, qui ad præstandum officium, seu satisfaciendum obligationi beneficii inhabilis redditus est.

c. vlt.

\* \* \*

CAPITVLVM IV.

Eam te.

PARAPHRASIS.

Prohibet Alexander III. ne quisquam ad beneficiũ curatum instituatur, etiam si literas Apostolicas afferat, nisi præditus sit scientiã, bonis moribus, atque ætate in Lateranensi Concilio requisitis. c. cùm in cunctis, 7. de elect. Præterea iubet, vt qui plurium Ecclesiarum curam habent, quarum vna ex alia non pendet, ij, remota appellatione, coguntur ad vnam earum, quam maluerint, dimittendam: nisi ita tenues redditus habeant, vt proprios Sacerdotes alere non possint.

SUMMARIVM.

1. Si Papa iubeat alicui conferri beneficium, licet in literis non exprimat, intelligitur tamen conditio, si idoneus sit.
2. Ad beneficia curata potissimum requiruntur qualitates istæ, scientia competens, morum honestas, & ætas legitima.
3. Qui habet duo beneficia curata, vel alterum personatum, aut dignitatem, ipso iure priuatus existit prius habito, illudque dimittere debet.
4. Si parochialis ecclesia tenues prouentus habet, qui alendo sacerdoti non sufficiant, quomodo ab Episcopo prouidendum?

**NOTANDVM I.** Si Papa iubeat alicui conferri beneficium, etsi in literis non exprimat, intelligitur tamen conditio, si idoneus sit, iuxta c. cùm aded, 17. de re scriptis. Potissimum autem ad beneficia curata requiruntur qualitates istæ. Scientia competens, morum honestas, & ætas legitima. Tametsi verò in ætate Pontifex dispensare possit, tamen non præsumitur contra generalis Concilij decretum dispensare, nisi id exprimat, c. ex parte, de Capellis Monachorum.

NOTAN-

sup ipere queant, tum Episcopus cùm Capitali consensu dispensare non prohibetur: cùm talis dispensatio in proprio ipsorum iure seu statuto fiat. Quod si autè literæ fundationis requirant, vt capellania v. g. Sacerdoti conferatur, vtrum Episcopus dispensare possit, dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. in q. 6. n. 13.

**NOTANDVM III.** Si aliquis per Papæ dispensationem ad beneficium curatum promotus sit, qui ob ætatis defectum præesse ipsemer non possit, debet interim administrator, seu Vicarius temporalis deputari; qui Clericus sit, non laicus: nam laici Ecclesiastica negotia gerere non debent, c. 2. de iudicijs.

CAPITVLVM III.

Indecorum.

SUMMARIVM.

Regimen Ecclesia minori quatuordecim annis committi non debet, maior ætas requiritur iuxta posteriores canones.

**E**ccliesiarum dignitates, seu personatus impuberi, seu minori xiv. annis committi non possunt: Et talis prouisio seu institutio ab Episcopis facta, irritanda erit, ipsiq; grauiter puniendi. Ita Alexander III. in hoc c. Sed postea editis canonibus maior ætas requisita fuit: videl. si personatus, v. g. Decanatus, aut Archidiaconatus curam animarum annexam habent, anni xxiv. completi, c. cùm in cunctis, 7. §. inferiora. de elect. in Trident. sess. 24. c. 12. de reform. Ad dignitates verò seu personatus, quibus cura animarum annexa non est, xxi. anni completi, cit. c. 12. Ad reliqua verò simplicia beneficia, ordinariè ac per se loquendo, anni quatuordecim, saltem cœpti, Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. iun. declarat. Cardinal. Vide quæ dixi, in cit. §. Inferiora.

\* \* \*

NOTANDUM II. Tempore Alexandri III. prohibita erat pluralitas beneficiorum curatorum, ita verò, vt qui duo curata obtineret, cogendus esset ad alterum, quod maluerit, dimittendum. Post verò sub Innoc. III. in Concil. Lateranensi in c. de multa, 28. de præbend. & latius à Ioanne XXI. in extrauag. execrabilis, eod. tit. statutum fuit, vt obtinens alterum beneficium curatum vel alterum personatum seu dignitatem post pacificam eius possessionem, ipso iure priuatus existat prius habito; illudque dimittere debeat: alioquin ipso iure priuetur ambobus beneficijs, illaque Sedi Apostolicæ reseruata maneant.

Porro si parochiales ecclesiæ tenues proventus habeant, qui alendo sacerdoti non sufficiant, quomodo huic rei ab Episcopo prouidendum sit, declarat Concil. Trident. sess. 21. c. 5. de reform. & sess. 24. c. 13. §. In parochialibus, de reform. Vt videl. vnio beneficiorum instituat; tamen sine præiudicio ea obtinentium, ita vt vnio effectum non consequatur ante illorum mortem, vel resignationem, vti explicauit lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 9. n. 9. Sin autem vnio institui non possit, quia v. g. patronus consensum dare recusat, tum vel decimarum assignatione, vel parochianis indicta collecta succurri debet; vel denique cogantur patroni pro cultu diuino & sustentatione Rectoris sufficientes redditus præbere, aut vnionem permittere, sicuti Cardinales declararunt super cit. sess. 21. c. 5. de reform. Quomodo autem prouidendum sit, si populus n. microsus, vel nimis distans ad vnam parochiam congregari non possit, leges ead. sess. c. 6. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. n. 10. §. quarto.

## CAPITVLVM V.

## Præterea.

## SUMMARIUM.

*Is, qui nondum est in sacris, dispensatiue ad curatum beneficium assumi potest, ita tamen, vt intra annum in presbyterum ordinari possit.*

LIcèt spectato ordinario iure ad beneficium curatum promoueri non debeat, nisi in sacro ordine constitutus, dispensatiue tamen permitti potest, vt in minoribus tantum constituti instituantur; dummodo tales sint, vt intra breue tempus in presbyteros ordinari queant.

Nunc verò definitus est annus, numerandus à die, quo prouisus beneficij possessionem consecutus est, vel per eum stetit, quò minus assequeretur: Intra quod anni tempus nisi iuste impeditus sit, ordinem sacrum requisitum accipere debet; alioquin priuatus erit, c. cum in cunctis, 7. §. Inferiora, de elect. & Clem. 2. hoc tit. c. 2. de institut. in 6. Imò promotus ad curatum beneficium, nisi intra annum sacerdos fiat, ipso iure priuatus est, c. licèt, 14. de elect. in 6. & dixi de hac re in cit. §. Inferiora. Porro, quòd Gl. in cit. c. licèt, ver. priuatus, iustum impedimentum excusare negat, si ex culpa prouenerit, vt quia prouisus suspensionem ab ordinibus contraxit, id supra reieci c. 1. Si tamen quispiam per fraudem inhabilem se faciat, quò minus intra annum promoueri cogatur, is haud dubiè pœnam iuris incurret: cum nemini frans propria parrochiani debeat. Sed & in pœnam priuari poterit, qui sciens se intra annum ordinem requisitum ad beneficium suscipere non posse, impedimentum reticuit: dummodo tanta culpa commissã videatur, vt priuationem mereatur.

## CAPITVLVM VI.

## Quæris.

## PARAPHRASIS.

Episcopus quidam consuluit Alexandrum III. quid Clericis agendum esset, multa Ecclesiastica beneficia obtinentibus, si commoniti, vt ordines maiores acciperent, id agere recusant, eò quòd dicant occurrunt crimen se commisisse, ob quòd sua conscientia ad superiorem gradum ascendere non possint. Respondet Pontifex, In antiquis canonibus (relatis d. 74.)

non satis apparere, quid agendum esset; cum diuersa, & in speciem contraria responsa legantur: Quare ad dubitationem istam tollendam, statuit Papa: Vt talibus dicto modo se excusantibus, Clerici inferiores, qui digni sunt, vt ascendant, præferantur in dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis: Illis verò alijs etiam auferantur beneficia, quæ possident, nisi seruitijs suis valde vtilis ecclesiæ existant. Quod si autem nulla prætexta impedimenti excusatione, pro sola voluntate sua ordinari recuset, cum tamen ecclesiæ vtilitas, aut necessitas postulet, vt ordinentur, tum per beneficiorum subtractionem, amissionemque, omni remota appellatione compellantur.

## SUMMARIUM.

1. In duobus casibus potest Episcopus compellere beneficiatos, vt ad altiore ordinem ascendant.
2. Quod si in alterutro casu beneficiatus monitus prætendat impedimentum irregularitatis vel censure ex occulto crimine contractum, beneficio priuandus est, si absolutè recuset sacri Ordinis suspensionem.

**H**oc responsum Alexandri intelligi debet. In ijs tantum casibus, quibus Episcopus compellere potest beneficiatos, vt ad ordinem altiore ascendant. Hi autem sunt duo: Primus, si beneficium annexum habeat ordinem sacrum, seu potius obligationem suscipiendi ordinis sacri intra annum. Tunc compellendi sunt, in primis per subtractionem distributionum quotidianarum, iuxta Clem. 2. hoc tit. Deinde per subtractionem reddituum beneficalium, vel partis eorum, denique per priuationem, vt ex hoc textu colligitur. Alter casus. Si beneficium nõ habeat annexum sacrum ordinem, tamen ecclesiæ vtilitas seu necessitas v.g. Ministrorum penuria postulet, vt beneficiatus sacrum ordinem accipiat, iuxta c. si qui, & c. placuit, d. 74. Quod si verò beneficiatus ab Episcopo ex vna harum causarum monitus, prætendat impedimen-

tum irregularitatis, aut censure ex occulto crimine contractum; tum remouendi sunt, seu beneficijs priuandi. Quod intelligo, si simpliciter renuant sacri ordinis susceptionem: Secus si non simpliciter, sed ad tempus sperantes se breui impetraturos dispensationem super defectu, tum illis tempus constitui poterit, intra quod sublato impedimento promoueantur, iuxta ea quæ supra dixi hoc tit. c. 1.

Excipitur verò: Nisi tales beneficiati in suo seruitio, quod ecclesiæ præstant, valde vtilis sint, tum tolerari posse. Quæ tamen exceptio iure nouo circa beneficia, quibus facer ordo annexus est, locum non habet, vt colligitur ex cit. Clem. 2. Vt ij, & in Trident. Sess. 7. c. 12. de reform. vbi prohibetur, ne facultates de non promouendo, seu altiore ordinem non accipiendo beneficiatis vltra annum non prorogentur.

Porro, si beneficia ecclesiastica, neque propria institutione, aut fundatione, neque speciali canonum constitutione ordinem altiore requirant, neque item ecclesiæ necessitas promotionem postulet, tum canonica regula c. gesta, c. vbi ista didicisti, & c. Honoratus, d. 74. adhuc hodie locum habere debet, quod nemo iniquus ad superiorem ordinis gradum promoueri debet. Sed hoc agat Episcopus, quod antea Gelasius Papa consuluit in c. vlt. ead. d. Si propter Ecclesiæ vtilitatem cupiat beneficiatos ad altiores ordines ascendere, promoueat Acolythos seu in minoribus constitutos, si digni sunt, vsque ad sacerdotium, vt sic præferantur alijs in sessionibus, ac præbendarum commodis, iuxta c. statumimus, l. 5. de maior. & obed. Hac ratione allicientur & alij ad ascensum.

## CAPITVLVM VII.

## Ad aures.

## PARAPHRASIS.

Canonicus quidam proposuit Clementi III, Pontifici, Cum ipse medicinæ peritus sit, pluribus secundum artis præscripta me-

V u u dica-

dicamenta præbuisse, eam diligentia; sed sapius malè successisse: quia ex medicinis, quibus homines sanare volebat, aliqui mortis periculum incurrerunt: Querebat, utrum nihilominus ad sacros ordines promoueri posset. Respondet illi Pontifex: Si conscientia in his te remordet, de consilio nostro ad ordines maiores ne ascendas.

## SUMMARIUM.

1. *Medicinae peritus, & secundum regulas artis operatus, ob euentum mortis infirmi, non incurrit irregularitatem.*
2. *Incurrit autem clericus in maioribus, & Religiosus, si artem chirurgicam exercet, & per incisionem vel adustionem mors vel mutilatio (et si casu, & omni adhibita diligentia) sequatur.*

Contra hanc Clementis responsionem obijcitur: Ex homicidio casuali, & omnino inculpato non incurritur irregularitas: Atqui homicidia ista, si ex medicinis secuta sunt, omnino casualia & inculpata fuerunt. Ergo Canonico illi nullus irregularitatis scrupulus iniiciendus fuit. Maior est certa ex e. latere, 9. de homicidio, & docuilib. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. assert. 1. Minor constat ex l. illicitas, §. Sicuti, ff. de offic. Præsidis. Nam ad officium seu obligationem Medici ægros curantis plus non requiritur, quam ut in arte peritus ac versatus sit, (nam imperitia culpæ annumeratur in ijs, qui ut periti operam suam promittunt, l. si quis domum, 9. §. Celsus, ff. locati) & ut secundum artis regulas, adhibita diligentia, operetur. Quod si nihilominus euentus infelix sequatur, id Medico imputari non potest, sed casui & fortunæ. Quamobrem Galenus dixit, Medicum fortunatum esse oportet; quia in particulari ob varia adiuncta multa incidunt, quæ neque à prudentissimo prævideri possunt. Respondeo: Si Canonico ille in minoribus constitutus, medicinae peritus fuit, & secundum regulas artis operatus, irregularitatem timere non debuit, sicuti etiam Innoc. hic notauit. Quamobrem neque Pontifex illi absolutè

præcepit, ut à sacris ordinibus abstinere, Ceterum suspicatus fuit Pontifex, non omnem culpam abfuisse: eam maxime ob causam, quia ad Clericos beneficiatos, quamuis in minoribus tantum constituti sint, non pertinet artis medicæ, aut chirurgicæ exercitium, nisi necessitas aut pietas in aliquo casu subsidium à Clerico exigat, ut docet Nauar. c. 29 man. n. 10. Cum igitur Canonico ille operam dederit rei illicitæ, sibi que prohibita, & factus fuerit sapius ex medicinis suis hominibus mortis periculum generatum fuisse; non credebatur simplici & non probatæ eius assertioni, quod & artis peritus esset, & cum omni diligentia operatus. Sed potius præsumptio fuit contra hominem, quod salutem leuis seu venialis negligentia & culpæ commissa fuerit. Ea autem sufficere debet ad irregularitatem ex secuto homicidio contrahendam, si quis operam dedit rei sibi prohibita, secundum probabiliorem DD. sententiam, quam tradidi eod. c. 10. assert. 3. dicendo 2. Ceterum Clericis in maioribus, atque Monachis seu Religiosis exercitium artis chirurgicæ per incisionem vel adustionem seuerius prohibitum est, aded ut si mors, aut mutilatio exinde secuta sit, quamuis casu & omni adhibita diligentia, irregularitas contrahatur, iuxta e. sententiam, ne Clerici vel Monachi, & dixi cit. c. 10. assert. 2. Videri potest Hostiensis hoc tit. n. 4.

## CAPITVLVM VIII.

## Cum bonæ.

## PARAPHRASIS.

Clemens III. citat ad se Clericos quosdam Baranensis Ecclesiæ, ut responderent ad obiecta Archidiaconi sui, quem grauitè leserant. Cum autem illi accedere contemnerent, suspensionis sententiam in eos promulgauit: In qua illi censura triennio permanentes, etiam beneficia ecclesiastica interim consecuti sunt. Sed dubitatum postea fuit, an ea beneficia retinere possent. Ad id respondet Cælestinus III. Successor

cessor Clementis, quod non liceat eis beneficia, quæ ante suspensionem habuerunt, neque quæ postea consecuti sunt, retinere: Ideoque mandat Archiepiscopo Baranensi, vt illos, propter pertinaciam & contemptum Sedis Apostolicæ omnibus beneficijs priuet.

## SUMMARIUM.

1. Clerici priuandi sunt beneficijs, quæ in suspensione acceperunt.
2. Qui contumaciter persistit in excommunicatione, aut suspensione, priuatur beneficio, quod prius habebat, & interea acquiritur.

**D**E hac Cælestini responsione nullum dubium est, quoad vnâ partem, videlicet clericos priuandos esse beneficijs, quæ in suspensione acceperunt. Quemadmodum enim qui ab ordine suspensus est, nouum ordinem suscipere non potest, ita qui ab officio, vel beneficio suspensus est, ei aliud officium aut beneficium ecclesiasticum conferri haud potest, arg. c. vlt. de cleric. excom. ministr.

Quoad alteram verò partem dubium est, vtrum suspensus ab officio, vel beneficio, si per eum stet, quod minus à suspensione absoluetur, beneficijs ante suspensionem obuentis priuandus sit. Respondeo ex doctrina Innoc. super hoc c. Suspensio varijs modis ob culpam ferri potest: Primò, ad tempus definitum, v. g. ad triennium: hoc casu puræ pœnæ rationem habet, & per se ipsam cessat, tempore elapso, nisi prius à Superiore dispensatio, seu relaxatio impetretur. Idemque est, si sub conditione lata sit suspensio, donec restituerit, donec satisfecerit: nisi quod in ordine ad forum externum requiratur absolutio, seu potius declaratio, conditionem impletam, seu satisfactam fuisse.

Secundò ferri potest suspensio propter commissum crimen, tanquam pura pœna in perpetuum: & tum parum differt à depositione, seu priuatione; saltem qui ita absque spe relaxationis suspensus est, beneficijs priuari debet, iuxta ea quæ dixi lib. 5. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 3. & c. 5. n. 1.

Tertiò fertur suspensio tanquam propriè dicta censura propter præsentem contumaciam, ita vt eâ depositâ, absolutio conferenda sit. Cæterùm si Reus in contumacia diu perseveret, seu per ipsum stet, quod minus absoluetur, denique indignus reputatur, qui ab Ecclesia recipiatur, & à contracta censura absoluetur, vt colligitur ex hoc textu; Et in c. rursus, 36. & c. seq. causa 11. q. 3. excommunicationis censurâ altricis annus præfigitur, intra quem causam suam peragere possint: postea audiendos non esse. Id verò Innoc. Ioan. Andr. Ant. Butrio hic ad censuram quoque suspensionis extendunt; si suspensus intra annum ecclesiæ satisfacere, & absolutionem petere per contumaciam intermitat, postea audiendum non esse, consequenter priuandum, seu deponendum: Et quod hic de triennio relatum est, facti speciem fuisse. Ego verò arbitror, nullum certum tempus definiri posse, sed superioris iudicio committendum, vtrum tanta & tam diuturna in excommunicatione, aut suspensione persistentis, contumacia sit, vt spectata qualitate facti, priuationem beneficiorum mereatur. Quod verò in cit. c. rursus, & seq. annualis temporis mentio fit, id secundum eorum temporum & criminum circumstantias decretum est. Sed etsi ea pœna in persistentibus in excommunicationis censura adhuc hodie locum haberet, tamen ad suspensionem sine iuris textu extendi non posset.

## CAPITVLVM IX.

## A multis.

## SUMMARIUM.

1. Subdiaconus liberè in Episcopum eligi potest,
2. Clericus autem in minoribus constitutus non potest eligi, sed postulari debet.

**D**ubitatum fuit, vtrum Subdiaconus in Episcopum liberè eligi possit, an verò postulari debeat. Quod enim postulari debeat, significat Urbanus I. Papa relatus in c. vlt.



d. 60. Sed respondet Innocentius III. Id dictum fuisse ab Urbano, quia eo tempore Subdiaconatus non erat ordo sacer, seu annexam non habebat obligationem continentiae. Sed posterioribus seculis introductum, ut neque Subdiaconi ordinarentur, nisi continentiam promitterent, & tum etiam Subdiaconatus intra sacros seu maiores ordines numeratus fuit, uti testatur Urbanus II. relatus in c. eos qui, & seqq. d. 3. item Gregor. I. lib. 3. epist. 5. ad Bonifac. relatus in c. Subdiaconis, ead. d. & lib. 1. epist. 42. ad Petrum Subdiaconum, relatus in c. 1. d. 3. ubi ait, ante triennium in Sicilia promulgatum esse decretum, ut etiam Subdiaconi, sicuti ante hoc tempus in Romanam Ecclesiam introductum erat, in ordinatione sua continentiam, etiam à proprijs, quas antè duxerant, vxoribus promitterent: idque statutum deinceps obseruandum. Qui autem ante illud statutum in Sicilia ordinati sunt Subdiaconi, permittendum, ut suis vxoribus utantur: cum durum videatur, viros coniugatos, qui consuetudinem continentiae non habent, neque eam in ordinatione promiserunt, ad continendum compellere; atque periculum, ne in deterius ruant. Constat ergo, cum à tempore Gregorij I. Subdiaconatus inter sacros ordines numeratus fuerit, id eo Subdiaconum liberè in Episcopum eligi posse.

**NOTANDVM I.** Ordo sacer dicitur ille, cui continentiae promissio annexa est: Fortasè ideo, quòd qui talem ordinem suscipiunt, continentiae voto edito, se Deo quodammodo consecrent.

**NOTANDVM II.** Clericus in minoribus, seu non sacro ordine constitutus in Episcopum non potest eligi, sed postulari debet,

### CAPITVLVM X.

Tuam.

#### PARAPHRASIS.

Legatus à latere retulit Innocentio III. de Monacho, qui in minoribus ordinibus constitutus, ad sacros promoueri non poterat, quia v.g. ob corporis defectum irregularis erat, alioquin verò morum hone-

state & industrià insignis, ut spes esset per eum Monasterium reformandi, si in Abbatem institueretur: quod etiam laici eius consanguinei & affines instanter petebant. Hoc intellecto, mandat Innocentius Legato, ut dictum Monachum instituat in Abbatem, non propter laicorum preces, sed propter Ecclesiae illius necessitatem, & utilitatem. Ita explicant Gl. Innocent. Ioan. Andr. & alij communiter.

#### SVMMARIVM.

1. *Monachus in minoribus constitutus & irregularis ob monasterij necessitatem dispensatiuè in Abbatem in suum potest.*
2. *Pertinet autem in hoc casu potestas dispensandi ad summum Pontificem, & non ad Praelatos inferiores.*

**NOTANDVM I.** Monachus qui ob iustam causam ad sacerdotium promoueri nequit, propter Monasterij necessitatem in Abbatem dispensatiuè promoueri potest.

**QVÆRES:** Ad quem pertinet in hoc casu dispensare? Respondeo; Ad Pontificem, nò item Praelatos inferiores. Quia secundum canones, assumptus ad beneficium aut dignitatem, cui cura animarum annexa est, intra annum sacerdos fieri debet, uti dixi supra e. 1. hoc tit. Facilius autem Pontifex dispensat, ut ad abbatiam aut similem curatam ecclesiam aliquis promoueat sine obligatione sacerdotium suscipiendi, quam ad Episcopatum. Quia episcopale officium non tantum consistit in iurisdictione erga subditos, sed magis etiam in potestate ordinis exercendi. At verò officium Abbatis potius in gubernatione consistit, quam in exercitio ordinis, arg. c. 1. causa 18. q. 2. Sed quid? si Monachus in minoribus constitutus intra annum Sacerdos fieri possit, concessumne est Episcopo illum promouere ad Abbatiam? Respondeo; Si Ecclesiae utilitas suadeat, promoueri posse: quia sacri canones non ita exigunt, ut qui ad alias praelaturas & beneficia surata eligitur vel promouetur, actu sacrum ordinem habeant, sicuti in electo Episcopo requirunt, uti constat ex c. praeterea, hoc tit. & docet Hostiensis hic n. 3.

No.

NOTANDVM II. Nihil impedit, quò minus aliquis ad preces aliorum eligatur, aut instituat in beneficio: dammodo non propter preces, seu intuitu precù id fiat principaliter, sed quia persona digna est. Quòd si autem propter preces aliquis promoueat, quia dignus non est, aut minus dignus quàm alij, tùm committitur peccatum acceptationis personarum, in eo consistens, vti dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 15. n. 6.

CAPITVLVM XI.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Laiici frequenter solebant ab Abbatibus Monasteriorum, quorum subditi erant primam tonsuram accipere. Sed dubitauit Archiepiscopus Rhotomagensis, vtrum per hanc tonsuram ordo clericalis conferatur. De ea re consultus Innocent. III. respondit; Secundùm 7. generalis Synodi decretum, quod refertur c. 1. d. 69. Abbatibus, si sacerdotes, & ab Episcopo benedicti sint, permissum esse, vt in proprio Monasterio per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam, ordinem clericalem conferant.

SVMMARIVM.

1. Prima tonsura est ordo clericalis latè, quia per eam clericus constituitur.
2. Abbas ab Episcopo benedictus olim in suis Monasterijs primam tonsuram & quatuor Minores etiam secularibus conferebat, quod hodie quoad seculares sublatum est per Trident.

NOTANDVM I. Prima tonsura dicitur ordo clericalis latè: quia per eam Clericus constituitur seu ordinatur. Exinde autem tanquam à fundamento, vltiores ordinù ac potestatum gradus vsq; ad sacerdotij apicem, numerantur septem, qui propriè & strictè ordines dicuntur, iuxta Trid. sess. 23. c. 2. & can. 2. de Sacram. Ordinis: Episcopatus denique haud dubiè sacer ordo

est. Sed ideo (secundùm communem loquendi consuetudinem) numerum non auget: quia nõ omnino seu adæquatè distinctus est ab ordine presbyteratus, sed eum in se includit, neq; nouum characterem confert, sed in ordinatione presbyteratus acceptum auget ac perficit. Vide, quæ dixi lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 3.

NOTANDVM II. Olim Abbates ab Episcopo benedicti in suis Monasterijs primam tonsuram (quatuor minores) etiam secularibus subditis suis conferebant. Id autem, quoad seculares, sublatum est in Trident. sess. 23. c. 10. de reformat. Quæ de re dixi in c. 1. de suppl. neg. Prælatorum.

CAPITVLVM XII.

Intelleximus.

PARAPHRASIS.

Canonicus regularis postquam diu in Monasterio laudabiliter versatus absque dispensatione transijt ad ordinem Monachorum, in eoque tempore aliquo commoratus, postea pœnitentiâ motus petijt & impetrauit, vt in Monasteriũ, vnde discesserat, reciperetur. Ibi tam laudabiliter vixit, vt vnanimi Fratrum consensu electus fuerit in Abbatem. Eare intellecta, scribit ad ipsum Innocent. III. vt memor esset, quidnam ab Urbano II. in c. mandamus, causa 19. q. 3. decretum fuerit: Ne Canonicus regularis, nisi publicè lapsus esset, Monachus fieret: Alioquin ad ordinem Canonicorum reuertatur, & cucullum tanquam memoriale suæ transgressiõnis, deferat, atque vltimum in choro locum teneat.

SVMMARIVM.

1. Canonicis regularibus concessum est transire ad ordinem Monachorum, sed non vice versa.
2. Ordines Religiosorum, qui diuini ministerii

Vuu 3 niste

*nisterijs vacant, perfectiores ac digniores sunt, quam Religiosorum laicorum, v. g. militarium, Hospitalarium, &c.*

Contra hanc Innoc. III. doctrinam obijcitur responsio Alexandri III. antecessoris eius in c. sanè, 10. de Regul. Quòd Canonicus Regularis transire possit ad Monachos, si eorum religio strictior sit. Exinde ita argumentari licet: secundum canones licitum est Religioso, petità, quamvis non obtentà licentià, melioris vitæ zelo transire ad Religionem strictiorem, c. licet, 18. de Regular. Sed regula Canonicorum Regularium laxior est, quàm regula Monachorum, vti expressè idem Innoc. III. respondit in c. Quòd Dei timorem, de statu Monachorum.

Hanc difficultatem soluit S. Th. 2. 2. q. vlt. a. 8. & Ioann. Andr. in cit. c. sanè: Olim in plerisque Monasterijs, quippe quæ in solitudine ædificata erant, Monachi in Clerum assumpti non erant, vti constat ex congestis à Gratiano causa 16. q. 1. c. 2. 3. 6. c. generaliter, 40. Quamobrem permissum non fuit, vt Canonici Regulares, qui iuxta professionem suam diuinis officijs, & sacerdotio destinati erant, ad tale Monasterium seu Congregationem Monachorum laicorum transirent. Sed quia Monachi frequenter etiam in Clerum assumebantur, vti constat ex c. si Monachus, & seqq. ead. q. 1. ideo quædam eorum Monasteria Sacerdotum, aliorumque Clericorum Congregationes erant, ad quas proinde Canonicis Regularibus, non obstante professione & instituto suo, transire fas erat, dummodò locus seu Monasterium, ad quod se recipiunt, arctioris obseruationis sit, vt appareat melioris vitæ zelo eos moueri. Et hoc iure hodie vtitur, vt Canonici Regularibus concessum sit transire ad Ordinem Monachorum; sed non vice versa, vti dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 6. q. 3. addendo 5.

2. **NOTANDVM** Vn. Ordines Religiosorum, qui diuinis ministerijs vacant, perfectiores ac digniores sunt, quàm Ordines Religiosorum laicorū, cuiusmodi sunt ordines Militarium, Hospitalarium &c. Quamobrem concessum non est illorum ordinum

professis ad hos transire, etiamsi ponamus strictiorem in his Regulam seruari.

## CAPITVLVM XIII.

## Accepimus.

## PARAPHRASIS.

Episcopus Bracharensis, eiusque antecessor nonnullos Clericos in maioribus abique titulo sustentationis ordinauerat. Quamobrem pro illis scripsit Pontifex, & mandauit, vt beneficia in ea ecclesia acciperent. Sed Episcopus contra mandata Apostolica excepit, quòd ad beneficia idonei non essent. Hoc intellecto, Innoc. III. ita respondit: Quamuis, si iure agendum sit, Episcopus hanc exceptionem opponere nō possit: quia ipse & successores eius Clericos ante ordinationem examinare debebant; quare sibi iam imputent, si indignos seu minus idoneos ordinarunt: nisi forte indigni redditi fuerint. Nihilominus Pontifex, cum pro talibus scribit, vt beneficia consequatur, apponere solet conditionem, si digni sunt. Quam vt gratiam, & benignitatem Apostolicam Episcopus agnoscere debet, quod à se vel antecessore suo sine titulo ordinatos, Papa per delegatos & executores suos prius examinari curet, quàm beneficia ipsi tribuantur. Mandat itaque Pontifex Innocent. III. si Episcopus mandata Apostolica de talibus acceperit, ipsis beneficia in Cathedrali, aut alia diocesis suæ Ecclesia prouidere non cunctetur; ita tamen, vt si exceptiones opponere velit, eæ audientæ sint.

1. *Dignus ad ordines sacros, censetur etiam dignus ad beneficium ecclesiasticum: unde non est opus nouo examine pro beneficio.*
2. *Nisi post ordinationem se indignum reddiderit, vt eius crimen, aliusue defectus proditus sit.*
3. *Aut beneficij qualitas v. g. quia beneficium*

*tum curatum est, vel dignitas, nouum examen requirat.*

4. *Obligatio alendi & prouidendi clericos sine titulo ordinatos incumbit Episcopatus adeoque transit ad successorem Nisi Ecclesia Prælati, vel Archidiaconus clericum præsentauerit Episcopo; tunc enim hi, qui præsentauerunt, clericum alere tenentur.*

5. *Ordinandi ab Episcopo examinati, possunt iterum ab eodem examinari, si opus esse iudicauerit, & à Papa, si beneficium eis qualecunque mandet.*

**NOTANDVM I.** Qui dignus censetur ad ordines sacros, dignus etiam iudicatur ad beneficium Ecclesiasticum. Quia ordo sacer, & titulus aliquis beneficii connexa sunt, inquit Innocent. hic. Quare opus non est, ut pro beneficio consequendo iterum examinetur.

Excipe I. Nisi clericus post ordinationem se indignum reddiderit. Vel nisi eius crimen, aliusque defectus tempore ordinationis latuerit, qui postea proditus est, argum. c. pastoralis, 4. de exceptione. & docet hic Innocentius, Gl. ver. exceptionem.

Excipe II. Nisi beneficii qualitas, quia v. g. est curatum, aut dignitas, nouum examen requirat, arg. scriptum, 40. de elect. c. eum secundum, 16. ver. Inde est, de præb. & notat hic Anton. Butrio n. 6.

**NOTANDVM II.** Non tantum si ipsismet Episcopus, sed etiam si antecessor eius alienum in maioribus sine titulo ordinauit, beneficium ei conferre tenetur, & antequam conferat, ex propria mensa prouidere. Ita etiam habetur in cit. c. cum secundum, & c. Episcopus. 4. eod. tit. de præbendis. Quia obligatio illa alendi & prouidendi clericos sine titulo ordinatos incumbit Episcopati: Ergo transit ad successorem.

Sed excipi debet primò: Nisi aliquis Ecclesie Prælati Clericum præsentauerit Episcopo, tunc ipse, qui præsentauit, Clericum alere tenetur, si ex seruitio, aut beneficio Ecclesiastico sustentationem non habeat, cit. c.

cum secundum. Sed in defectum eius, id est, si præsentator alere non possit, tum Episcopus ( dummodò in aliqua culpa fuerit ) prouidere tenebitur, teste Innoc. hic. Quare cauti esse debent Episcopi, ut non quorumlibet præsentationes atque alendi obligationes recipiant. Vide quæ dicam in cit. c. Episcopus.

Excipe secundò: Nisi Archidiaconus, cui ex officio incumbit Clericos ordinandos examinare c. ad hæc, de officio Archidiaconi, aliquem absque titulo, vel aliam non idoneum Episcopo præsentet, tum Archidiaconus, cum in culpa fuerit, prouidere illi tenetur, donec beneficium consequi possit, ut hic docet Innocentius, n. 1. & Gl. ver. examinari. Imò Gl. hæc generaliter loquitur de omni examinatore. Sed contrarium magis placet, quòd Innoc. ait in c. seq. Si quis non ex officio sed speciali mandato Episcopi examinet, examinatore non tenetur prouidere, (quamuis aliter ab Episcopo puniri possit) sed mandans. Quemadmodum & nauis exercitor tenetur ex culpa Magistris, ait Host. hoc tit. n. 4. ex l. i. ff. de exercitoria act. §. Magistrum. Cæterum etiam in dicto casu, si Archidiaconus malè à se præsentatum alere non possit, in Episcopum obligatio cadet: cum ipse Archidiacono attendere, & curam gerere debeat, ut nò nisi digni ad ordines promoueantur. Quamobrem etiam examini interesse, vel alios viros idoneos nomine suo ad examinandum constituere potest.

**NOTANDVM III.** Etiam si Episcopus ordinandos examinauerit, tamen Superior eius, videl. Papa, iterum examini subijcere potest, si beneficium qualecunque, ipsis conferri mandet. Imò verò etiam ipsismet Episcopus ex officio propter bonum publicum Ecclesie, si opus esse videatur, nouum examen seu inquisitionem instituire debet de promouendis, tametsi vel ipsismet, vel antecessor eius in culpa fuerit, indignos ordinando. Quia de re Hostiensis in sum. huius tit. princ. Anton. hie n. 6.

## CAPITVLVM XIV.

## Cùm sit.

**E**Os qui ad Sacerdotium promouendi sunt, Episcopus per se, vel per alios diligenter instituere debet in diuinorum officiorum celebratione, & sacramentorum administratione. Sanctus enim est, paucos habere bonos & idoneos, quam multos malos aut imperitos Ministros. Ita Innoc. III. in Concil. I. Lateranensi c. 27.

Loquitur autem de ijs ad sacerdotium ordinandis, qui ad curam animarum promouendi sunt: hi enim magis exercitati, & in Ecclesiasticis rebus versati esse deberent, iuxta c. 1. & seqq. d. 38.

## CAPITVLVM VI.

## Quamuis.

## PARAPHRASIS.

Multa contra Episcopum Calinensem, eoram Innoc. III. obiecta fuerunt. Sed id vnicum ad eius depositionem sufficere debet, quod ipse et confessus, se Grammaticam nunquam didicisse, nec legisse Donatum: & adeo notorium existit, eum prorsus illiteratum esse, vt contra Deum & sanctos Canones fieret, si in officio Episcopali toleraretur, ideo Pontifex illum penitus ab executione officij Pontificalis, & administratione Ecclesie Calinensis amouendum esse decreuit.

## SYMMARIUM

1. Defectus debita scientia reddit irritam electionem Episcopi.
2. Etiam Abbas, quæ neque à Superiore confirmanda est; & si confirmata sit, rescindi ab eodem potest.

**N**OTANDVM Vn. Si illiteratus in Episcopum promouatur, irrita est promotio, atque remoueri potest. Sed distin-

gui debet; vtrum omnino illiteratus sit, tunc spectato iure naturali, adeoque in conscientia resignare tenetur. An verò non omnino illiteratus, sed non sufficienter doctus, qui tamen doctrinam intra tempus non longum acquirere possit. Tunc rescindi quidem posset electio, aut promotio, tanquam contra canones: donec tamen rescipatur, tutus est in conscientia electus, aut promotus.

QVÆRIT hinc Anton. Butrio; Si electus aut promotus in Episcopum Grammaticæ artē nunquam didicerit, sed vsu latinam linguam comprehendit, vtrum tolerari possit, si alioquin prudens, & idoneus sit. Et bene respondet affirmando.

Iterum quærit; Si Abbas electus & institutus Grammaticam, atque linguam latinam nescire deprehendatur, vtrum deponi debeat, si alioquin in regula versatus, & prudens sit. Negat Butrio: Quia in Abbate magis requiritur prudentia, quam doctrina: Et olim Abbates laici erant, vt colligitur ex c. à Subdiacono, d. 93. Sed bene monet Gl. ibi v. Abbas: Quod hodie Abbates in magno honore sint in Ecclesia, atque clericis secularibus præferantur: quare opus esse videtur, vt etiam scientiâ præditi sint. Accedit, quod in cit. c. cum in cunctis, ad omnem dignitatem, quæ curam animarum annexam habet, scientia requiritur: Et in c. 1. hoc ita præcipitur, vt Abbates, si Presbyteri non sint, fiant.

Dico itaque, Electionem Abbatis, qui scientiâ caret, quæ ad sacerdotem, etiam curam & in dignitate constitutum requiritur, irrita esse, neque confirmandam à Superiore, Quod si confirmata sit, Superior ius habet eam rescindendi, tanquam contra canones factam. Interim verum est, quod in Abbatis non tanta requiritur doctrina, quanta in Episcopis. Deinde si Abbas non omnino illiteratus, sed non sufficienter doctus sit, potest in prælatura permanere, si Superior eum toleret; eo modo proportionali, sic-  
vti supra de Episcopo dictum est.

Permittimus.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. permittit Episcopis, ut cum ijs, qui vicesimum aetatis annu complegerunt, dispensare possint ad consequendas dignitates & personatus, si curam animarum annexam non habeant.

SVMARIYM.

1. Episcopus non potest dispensare super aetate requisita in ordinandis, vel praeficiendis secundum vniuersales Ecclesiae canones.
2. Ad dignitatem ecclesiasticam cum cura animarum nemo promouendus ante 25. annum: ad non curarum cum dispensatione Episcopi promoueri aliquis potest post 20. annum completum.
3. Hodie secundum Trident. ad eiusmodi dignitatem & personatum requiritur aetas exacta 22. annorum.

NOTANDVM Vn. Episcopus non potest dispensare super aetate secundum vniuersales Ecclesiae canones requisita in ordinandis, vel praeficiendis. Ita notat hic Gl. Ioan. Andr. & alij. Id vero colligitur ex verbo permittimus, id est, concedimus & indulgemus; quod alioquin absque speciali hac concessione Episcopis illicitum esset: Er enim secundum iura, etiam ciuilia, ad digni-

tatem nemo promoueri debet ante xxv. aetatis annum, saltem coeptu. l. Ad Rempubl. 4. ff. de muneribus. Cum autem in Concilio generali sub Alexan. III. e. cum in curatis, 7. de elect. expressè prohibitum fuerit, ne quisquam ad dignitatem ecclesiasticam cum cura animarum promoueatur ante dictam aetatem annorum xxv. ideo eo canone in suo vigore permanente circa alias dignitates non curatas Bonifac. VIII. permittit Episcopis, ut post 20. annum completum dispensare possint.

Quare non placet, quod tradit Hostiens. in summa huius tit. n. 1. Archidiaconus, & Dominicus de Geminiano super hoc c. Episcopum in aetate dispensare posse etiam circa dignitates curatas, si rationabilis causa, seu Ecclesiae utilitas postulet. Nam si haec doctrina vera esset, tum absolute dicendum foret, quod Episcopus contra canones vniuersales dispensare possit: quandoquidem omnis dispensatio causam rationabilem postulat.

Hodie vero secundum Trident. constitut. Sess. 24. cap. 12. de reformat. Ad eiusmodi dignitates ac personatus requiritur aetas exacta 22. annorum. Arque haec ipsa aetas sufficere debet, tametsi dignitas, quae per se curata non est, y. g. Decanatus, vnitam habeat parochialem seu curatam Ecclesiam. Attenditur enim ad naturam beneficii principalis, non uniti & accessorii; quippe quod naturam & conditiones suas veluti amississe censetur, cum alteri principaliori beneficio annexum fuit, ut dixi lib. 4. tr. 2. c. 9. num. 2.

TITVLVS XV.  
DE SACRA VNCTIONE.



Vm in Episcoporum consecratione sacra unctio adhibeatur, ideo hoc loco responsum Innoc. III. de varijs sacris unctionibus proponitur.

CAPITVLVM VNICVM.  
Cum venisset.

Episcopus quidam Graecus consecratus fuit, non adhibita chrisimatis unctione.

Xxx quæ